



3 1761 07995330 3

B I B L I O T H E C A
ORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
T E V B N E R I A N A


PERSIVS
SATIRAE

EDIDIT
C. FR. HERMANN



PA
6555
A2
1915
c.1
ROBA

L I P S I A E
IN AEDIBVS B.G. TEVBNERI



A. PERSII FLACCI SATIRARUM LIBER

EX RECENSIONE

CAROLI FRIDERICI HERMANNI


EDITIO STEREOTYPA



LIPSIAE IN AEDIBUS B.G. TEUBNERI MCMXV



Presented to the
LIBRARY *of the*
UNIVERSITY OF TORONTO
by
Addiction Research
Foundation Library




GODOFREDO BERNHARDY

VIRO ILLUSTRISSIMO

HUNC LIBELLUM

PROBARI CUPIT

EDITOR.



Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

PRAEFATIO.

De Persio quidquid novimus fere habemus ex antiqua vita, quam codices *de commentario Probi Valerii sublatam* praedicant, alii fortasse ad Suetonii Tranquilli librum de viris illustribus referre malent, quem tamen ipsum Probum auctorem sequi potuisse O. Jahnius in Ritschel. Parerg. Plautin. p. 618 et Th. Mommsenius in Comm. Soc. lit. Lips. T. I, p. 677 docte monuerunt; hanc igitur presse secutus, quoniam etiam de poeta ipso novae Satirarum illius editioni aliquid praemitti redemptor honestissimus voluit, quae mihi praeterea ad hanc praefationem pertinere visa sunt, aut literarum formis distincta ipsis veteris grammatici verbis interposui aut ad finem quanta potui brevitate subjeci.

Natus igitur est Aulus Persius Flaccus pridie Nonas Decembres Fabio Persico Lucio Vitellio consulibus, qui annus erat p. Chr. n. 34, u. c. 787; decessit VIII Kalendas Decembres Publio Mario Asinio Gallo consulibus, id est p. Chr. n. 62, u. c. 815, unde ne duodetrigesimum quidem annum integrum eum complevisse intelligimus. Natus est in Etruria Volaterris eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus, quo ex genere non dubitamus quin etiam Lucilii ille aequalis fuerit, quem Catulus apud Cic. Orat. II. 6. 25 omnium suae aetatis hominum doctissimum appellat eidemque nonnulli, teste Cic. Brut. 26. 99, orationem a Fannio contra C. Gracchum habitam tribuebant; — decessit autem noster ad octavum miliarium via Appia in praediis suis, quae sunt qui Sat. VI. 55 respici putant, quanquam alia quoque in Etruriae contiguaeve Liguria ora eum possedissee ex ejusdem satirae principio facile colligimus. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere sex; Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio equiti Romano et eum quoque extulit inter

paucos annos, unde probabile est nostrum in ipsis vitae primordiis domesticis calamitatibus conflictatum variisque pueritiae suae rectoribus usum, mox destitutum, prius quam alii solent ad eam ingenii maturitatem pervenisse, quam in adolescentuli satiris non sine admiratione deprehendimus. *Studuit Flaccus usque ad annum duodecimum aetatis suae Volaterris; deinde Romae apud grammaticum Remmum Palaemonem*, quem Sueton. III. gramm. 23 principem in sua professione locum tenuisse testatur; *et apud rhetorem Verginium Flavum*, etiam Quintiliano passim commemoratum quemque Tacitus Ann. XV. 71, quia studia juvenum eloquentia fovisset, propter claritudinem nominis simul cum Musonio a Nerone urbe pulsum esse tradit. Sed et illius exilium post mortem demum Persii contigit et *L. Annaei Cornuti*, cujus hic, *quum esset annorum sedecim, ita amicitia uti coepit, ut ab eo nusquam discederet; a quo quod vitae scriptor eum inductum aliquatenus in philosophiam esse ait*, ipse Persius in quintae satirae principio cum tanta pietatis et grati animi testificatione confirmat, ut huic inter omnes poetici ardoris principatus concedi debeat. De ipso Cornuto pluribus disseruerunt et Ger. Joa. de Martini in Spec. inaug. Lugd. 1825. 8. et Fr. Osannus in Praef. libri de natura deorum ab ipso Göttingae 1844 editi: quorum in disputationibus hoc tantum miror, quod hominis Leptitani verum nomen Cornutum fuisse arbitrati sunt Phurnutumque, quem passim et Scholia et codices praebent, adeo spreverunt, ut hanc nominis formam ex solo pronunciandi vitio librariorumve errore repeterent; equidem ubi frequentem vocalis u in opidis Africae usum reputo, prorsus mihi persuadeo Afrum origine Phurnutum potius appellatum esse, donec in civitatem Romanam Annaeorumque gentem receptus barbaram vocem in latinae speciem converteret eodem exemplo, quo principem Apostolorum Hebraeo nomine Saulum, Romano Paulum fuisse constat. Quae autem in ipsius nostrae vitae codicibus mox incommodo loco inserta leguntur: *nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae, qui libros philosophiae reliquit*, tam inepta sunt, ut eliminari ea cum Bergkio in Zeitschr. f. Alterth. 1845, p.

125, quam emendatricem operam ludi satius esse videatur; mihi certe nec *grammaticum* pro *tragico* Prellerus ibid. 1846, p. 43, nec *tempore tragico* Osannus in Philol. T. II, p. 384 probavit, utque concedam tragicum poetam Cornutum cum Welckero griech. Tragöed. p. 1457 haberi vix posse, illud tamen, quod rei unice convenire jam Pithoeus intellexit, quomodo cum literarum vestigiis conciliem, aegre invenio. Nimirum *Stoicae* sectae magister Cornutus fuit eaque disciplina etiam Persium ita imbuat, ut neque hujus satiras sine illius philosophiae notitia intelligere possis neque *Stoicae* doctrinae sinceriorem interpretem facile invenias; immo plurimas ejus disputationes propius ad scholae praecepta quam ad ipsius vitae usum accedere haud immerito dixeris, utque sermonem Persii innumeris in locis ad Horatii imitationem conformatum esse docta Casauboni sollertia comprobavit, ita sententias plerasque iisdem paene verbis apud Epictetum aliosque auctores Stoicos redire ejusdem commentarii manifesto arguunt. Quod non in obtrectationem vel invidiam Persio conflandam dictum esto, tanquam aliena magis quam sui ingenii virtute poeticam laudem adeptus sit; cujus ingenuus fervor et vehementia summis quibusque ausibus apta hac ipsa re apparet, quod etiam quae extrinsecus acceperat, ita in succum et sanguinem convertit, ut nisi aliunde edocti omnia ipsius inventa existimarem; hoc tamen salvo ejus honore contendere mihi videor, poetam illum a natura, satiricum ab arte potius et schola factum esse.

Sed ut ex diverticulo in viam redeam, *amicos Persius habuit a prima adolescentia Caesium Bassum poetam*, quem solum Quintilianus X. 1. 96 dignum judicavit qui Horatio adjiceretur, *et Calpurnium Staturam* vel ut Casaubonus maluit *Suram*, *qui vivo eo juvenis decessit*, idem tamen, si Sarpium audimus Quaest. philol. p. 11 sqq., eclogarum scriptor, quae nunc Calpurnii Siculi nomine feruntur, quanquam id commentum nuper idoneis argumentis impugnatum est; *coluit autem ut patrem Servilium Nonianum*, principem civitatis, ut appellatur a Plinio N. Histor. XXVIII. 5, quem et morum probitate et dicendi facultate inter

paucos clarum certatim veteres laudibus suis extulerunt, cf. Quintil. X. 1. 102, Plin. Epist. I. 13. 7, Tac. Ann. XIV. 19 etc., eidemque, ut videtur, Plotii Macrini notitiam debuit, *hominis sane eruditi*, ut Scholiastae verbis utar ad Sat. II. initium, quae satira ipsi Macrino dedicata est, *paternoque se affectu diligentis, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat indulto sibi pretio aliquanto*. Praeterea cognovit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum, Pharsaliae scriptorem notissimum, *aequaevum auditorem Cornuti*; sed quamvis suppar aetate Lucanus, quem p. Chr. a. 38 natum fuisse constat, adeo mirabatur scripta Flacci, ut — si recte Prellerus l. c. grammatici verba ex librorum vestigiis restituit — *vix retineret se recitantem a clamore, quin illa esse vera poemata diceret, sua ipse ludificaret* (vel suos sc. versus ludos faceret). Sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio, quod ut in adolescente Stoicae sectae et ipso dedito mirum videri possit, propius intuenti magnam et incorruptam hujus judicii sanitatem approbabit, ut qui jam tum intellexerit, quod posterius de Seneca judicarunt, in scriptis ejus res atque sententias aut inepto inanique impetu esse aut levi et quasi dicaci argutia, eruditionem autem vernaculam et plebejam nihilque ex veterum scriptis habentem neque gratiae neque dignitatis, cf. Gell. N. Att. XII. 2. Denique *usus est apud Cornulum duorum convictu virorum et doctissimorum et sanctissimorum acriter tum philosophantium, Claudii Agathini* (ita enim Osannus p. XVIII librorum lectionem Agaturrini docte emendavit) *medici Lacedaemonii et Petronii Aristocratis Magneti*, quos unice miratus est et aemulatus, quum aequales essent, Cornuti minores id est discipuli et ipsi. Idem etiam decem fere annos summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam habente uxorem, filiam illius, quae marito exemplum mortis simul et solatium fuit, cf. Plin. Epist. III. 11 et 16 deque ipso Thrasea praeter alios multos Wexium ad Tacit. Agric. p. 210 et Schmidt Gesch. d. Denk- und Glaubensfreiheit im ersten Jahrh. p. 352 sqq.

Haec hactenus de adolescentia Persii et familiaribus,

quorum omnium eam conditionem atque indolem fuisse apparet, ut illorum consuetudine morum ejus candor simul cum mentis acumine aleretur, temporum autem depravationi eum eo infestiores reddi necesse esset, quo rariora haec exempla in tanta scelerum omnis generis fertilitate ad eam perfectae et absolutae virtutis imaginem accedere videret, quam ex Stoica disciplina imbibisset; eoque solo pacto explicatur, quomodo adolescens jam ad tantum vitae communis fastidium pervenire potuerit, ut poeticam facultatem, quae in ipso esset, ad satiras potissimum scribendas, hoc est ad illud poesis genus conferre vellet, quod, ut ipse profitetur, indignationis evomendae magis quam lectorum alliciendorum causa capessereetur. Ipse enim, si vitae scriptorem sequimur, *fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis, idem frugi et pudicus*; qui ubi circa HS vices matri et sorori reliquit, scriptis tantum ad matrem codicillis Cornulo rogavit ut daret sestertia, ut quidam, centum, ut alii volunt, argenti facti pondera viginti, et libros circa septingentos Chrysippi — tot enim hunc revera scripsisse testatur etiam Diog. L. VII. 180 — sive bibliothecam suam omnem; verum a Cornulo sublatis libris pecuniam, sororibus, quas frater heredes fecerat, reliquit. Ita codices, quorum in lectione si quid offendit, scriptoris negligentiae tribuendum esse videtur; nunc demum haud scio an sententiarum ordo antiquus turbatus sit, neque statim ad scripta Persii transilire sed ita velut transitum munire debeamus, ut quae vulgo in fine demum leguntur, huc transferamus: *decessit autem vitio stomachi anno aetatis tricesimo*, nimirum ex vetere computandi more, quo numerorum termini utrimque tanquam integri comprehenduntur, nisi haec quoque emendando ad accuratiorem numerum, quem supra posui, revocare praestat. Adolescentis certe mortem describi sequentia docent, ubi grammaticus: *sed, inquit, mox ut a schola et magistris divertit, lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere studuit: cujus libri principium imitatus est* — fortasse in ipsius satirae primae exordio, etsi illum versum Scholiasta de primo potius Lucilii translatum esse tradit — *sibi primo, mox omnibus*

detracturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem illius temporis principem culpaverit, cujus versus in Neronem quum ita se haberet: auriculas asini Mida rex habet, in eum modum a Cornuto, ipso jam tum mortuo (sic Prellerus l. c. p. 44: codd. ipso tantummodo), est emendatus: auriculas asini quis non habet? ne hoc Nero in se dictum arbitraretur. Quanquam de ipsa hujus fabulae auctoritate si ex ea fide existimandum est, quae illi ex critica ejus loci quem spectat conditione accedere videatur, haud profecto magna existet nec multum abest, quin quidquid in his ad Sat. I. 121 pertineat, cum Breitingero et F. C. R. Rittero tanquam scioli commentum ex prava illius loci interpolatione petatum ab antiquae vitae corpore abscindenda et eliminanda esse censeam; cf. Lect. Pers. II, p. 11. Omnino nihil aut a Persii persona aut ab ipsius satirae indole et dignitate alienius cogitari potest, quam si quis illius aculeos, quod olim in quarta maxime satira, nuper etiam in aliis temptatum est, ab universa vitae humanae notatione ad tecta unius hominis ludibria detorqueat; quem etsi concedimus non reipublicae magis quam corruptelae sui saeculi principem et velut antesignanum ab hujus reprehensione eximi nec ipsum potuisse, Persio tamen nunquam eam injuriam faciemus, ut candidissimum adolescentem satiricae poesis gravitate ad libellos famosos abusum esse Luciliique et Horatii nomina venenatorum telorum officinae praefixisse credamus.

Longe vero alia causa est eorum quae ad totius libelli fortunam et originem pertinentia vulgo antecedunt, nec solum illud ipso satirarum habitu et orationis genere commendatur: *et raro et tarde scripsit*; sed etiam sequentia non est cur in dubitationem vocemus: *hunc ipsum librum imperfectum reliquit*, modo ita haec intelligamus, ut, si diutius vixisset, etiam plures eum satiras additurum fuisse statuamus, non ut ipsas quae exstant rudes et impolitas habitas esse existimemus. Id ipsum adeo est quod grammaticus *versus aliquot demptos esse ait ultimo libro, ut quasi finitus esset*, novae videlicet satirae principium, quod premere Cornutus, quam inchoatum et affectum publicare maluit. Hic enim, ut deinceps legimus, mortuo Persio li-

bellum leviter retractavit et Caesio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum; quem jam tum carminibus editis clarum et conspicuum fuisse ipsius Persii appellatio in satirae sextae initio satis ostendit, neque hoc ipso argumento uti recuso ad tuendam lectionem v. 6 *egregius luisse senex*, quam ex optimo codice Lugdunensi olim erutam etiam nunc in ordinem recipere non dubitavi. Quamvis enim Persii ab hujus adolescentia amicum fuisse Bassum modo legerimus, aequalem tamen Persii fuisse, quod plerique statuerunt, inde non sequitur; immo planissime grammaticus posterius demum ad aequales Persii familiares transit; Bassum, si jam tum poetae nomen meruerat, proveciorem aetate fuisse necesse est, sive maxime tunc, quum amicitiam cum Persio adolescentulo junxit, inter juvenes censebatur, hoc moriente facile quinquagesimum annum attigisse poterat, cui aetatis gradui Romani sine ulla dubitatione senectutem concesserunt, cf. Cic. Att. VI. 6, Horat. Satir. II. 1. 34, Liv. XXX. 30, Stat. Silv. IV. 9. 20. De aliis Persii scriptis quae grammaticus compererat, his verbis narrat: *scripserat etiam Flaccus in pueritia praetextam Vescio* — vel quocunque alio nomine haec fabula fuit, quam Heinrichius *Restionem*, Düntzerus *Decium*, Prellerus ex alius Scholii vestigiis *Nasicam*, proxime denique ad literarum ductus accedens Hertzius (philol. klin. Streifzug 1849, p. 27) ex Liv. IX. 25 *Vesciam* inscribi maluit — *et ὁδοιπορικὸν librum unum et paucos in socrum Thraseae, Arriam matrem, versus, quae se ante virum occiderat*; sed ea omnia, inquit, auctor fuit Cornulus matri ejus ut aboleret, idque consilium ratum fuisse vel inde apparet, quod jam proximae aetatis auctores unum tantum, quod nos quoque tenemus, sex satirarum volumen noverunt; cf. Quintil. X. 1. 94: *multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit*, et Martial. IV. 28. 7:

*saepius in libro memoratur Persius uno,
quam levis in tota Marsus Amazonide.*

At enim hunc, ut ait grammaticus, *editum librum continuo mirari et diripere homines coeperunt*, ejusque studii per omnia deinceps saecula propagati nobis quoque testes et codices sat multi antiquique et Scholia supersunt, quae etsi

Cornuti nomen immerito prae se ferunt, tamen ad eam aetatem ascendunt, quae non modo omnes quotquot exstant codices longe superet, sed etiam puriores genuinae antiquitatis fontes quam hi ipsi adire potuisse videatur. Nam quod Otto Jahnus in editione maiore ipsam Scholiorum auctoritatem adeo elevare conatus est, ut ea ad undecimi usque saeculi ineptias deprimeret, virum integerrimum simul et eruditissimum, cui Persius uni plus quam superioribus omnibus in unum collectis debet, illius iudicii errorem dudum abjecisse confido, postquam et Osannus l. c. p. LXII sqq. complura docte contra illum monuit et nos tum in Prooem. lect. Gott. 1846 vel Isidori aetatem Scholia nostra excedere, tum in disp. de Scholiorum ad Juvenalem genere deteriore lectionibus aetivis a. 1849 praemissa tantum inter haec et Pseudo-Cornutiana ad Juvenalem interesse demonstravimus, ut omne illius conaminis fundamentum labefactatum sit. Ne quis autem ipsi quam nos tuemur Scholiorum aetati Barcinonensem satirarum recensionem aequiparet, quam a nescio quo Fl. Julii Herennii Sabini V. C. protectore domestico a. p. Chr. 402 institutam antiquissimi codices Montispezzulanus et Romanus subscriptione sua testantur, hujus recensionis, etiam si maxime Scholiorum aetatem superet, ipse subscriptor fidem insigniter minuit fatendo se *sine antigrapho emendare temptasse*; ipsi denique quotquot exstant codices, si ab exiguo palimpsesti fragmento Vaticano discesseris, intra nonum vel decimum saeculum scripti sunt; quae quum ita sint, etiam nunc illud teneo, quod in Lectionibus Persianis Marb. 1842 editis professus vel inventis antiquissimis illis libris in Analectis de aetate et usu Scholiorum Persianorum denuo defendi, in constituenda Persii lectione principe loco Scholiorum atque his tacentibus demum quamvis bonorum codicum testimonia audienda esse. Quanquam ne horum quidem tantum ab illis discrimen exstat, ut sive quis nostras sive Jahnii rationes sequatur, de satiris satis emendate legendis desperandum sit; immo tanta horum testimoniorum praestantia tantusque in plurimis et gravissimis locis consensus est, ut quod jam ante hos viginti annos in Ephem. Schol. Darmst. 1833,

p. 317 quasi divinans prae me tuli, nunc planissime confirmatum videamus, quidquid ad Persii salutem faciendum restet, multo minus ad critici quam ad interpretis officium pertinere. Interpreti enim quum multae aliae difficultates, quae Persio cum ceteris suae aetatis scriptoribus et poetis communes sunt, tum haec peculiaris objicitur, cujus haud scio an unum inter veteres Heraclitum Ephesium τὸν σκοτεινὸν appellatum ille aemulum habuerit (cf. Aristot. Rhetor. III. 5. 6, Theon. Progymn. 14 §. 18), ut passim ancipiti et obscura interpunctione laboret; in critica vero factitanda conjectariam opem vix unus alterque locus desiderat, in lectionum autem varietate, si quis sana et incorrupta via incedat, tam raro haerebit, ut quum ante hos duodecim annos ego Jahniusque suo uterque iudicio verba poetae emendare aggressi essemus, licet a diversissimis principiis profecti instrumentisque prorsus aliis usi in plerisque ad easdem lectiones deferremur, nunc autem, postquam et Jahnio in editione minore mea et mihi Jahniانا subsidia praesto fuerunt, oppido pauci et minuti loci restent, in quibus mihi ab illo dissentiendum visum sit. Horum igitur enumeratione huic praefationi finem imponam, ita tamen, ut, ne quis me commentorum meorum tenaciorem esse existimet, simul eos admisceam, in quibus nunc ipse Jahnio auctore ab iis, quae in Lectionibus Persianis proposueram, discessi.

Prol. 4 *Heliconiadas* Lect. III, p. 2, *Heliconidas* Jahn.; mihi poeta epicorum numeros dactylicos respexisse videtur. — V. 9 *picamque* et 12 *refulgeat* c. Jahnio; olim *picasque* et *refulserit*. — Sat. I. 6 *examenve* Lect. II, p. 8, *examenque* Jahn. — V. 8 *ah* c. Jahnio; olim *at*. — V. 9 *tunc*, non *tum*, propter sequentium interpunctionem dudum a me commendatam, ubi v. 11 *tunc* nostri epanalepsis est. — V. 14 *quod* retinui; Jahnius *quo*, quod manifesto correctori debetur; quanquam hunc excusat lectio v. 17 ab eo recepta *leges*, ubi cur ego *legens* servaverim, dixi Lect. II, p. 12. — V. 32 *circa* c. Jahnio; olim *circum*. — V. 66 *dirigat*, non *derigat*, cum Schol. et libris plurimis. — V. 74 *quem... dictaturam* Lect. II, p. 20; vestem dictatoriam *dictaturam* appellat etiam Plin. N. Hist. XVIII. 3 §. 20. —

V. 76 *Brisaei*, non *Brisei*; cf. Steph. Byz. p. 186. — V. 81 *istuc* c. Vatic., *istud* Jahn. — V. 86 *doctas* retinui, ne *figurae* epitheto suo carerent; *doctus*, quod cum Scaligero Jahnus praetulit, post antecedentia languet. — V. 97 *praegrandi* c. Jahnio; olim *vegrandi*, antiqua varietate, quam tamen contra librorum consensum amplius non tueor. — V. 115 *Muci* c. eodem pro *Muti*; cf. Heusdii stud. crit. de Lucilio p. 215. — Sat. II. 14 *conditur* scripsi cum Jahnio, quamvis supparem auctoritate *ducitur* olim tuitus; at cf. Chaeremon ap. Stob. Serm. LXVIII. 22: *γυναικα θάπτειν κρεῖττόν ἐστιν ἢ γαμεῖν*. — V. 42 *grandes* Lect. II, p. 26, *pingues* Jahn.; at cf. *grandes rhombos patinasque* Hor. Sat. II. 2. 95, *grandes ollas* Juv. XIV. 171, magisque decet poetam variare epitheta quam eodem sensu duo usurpare; nam *pingues* sunt *crassae*, cf. Weichert poet. reliqu. p. 26. Contra *tucceta* pro *tucetis* libenter ascivi; cf. Hildebr. ad Appul. II. 7, ad Arnob. II. 42. — V. 45 *accersis* Lect. III, p. 10; *arcessis* Jahn.; cf. Wissowa Lect. Tacitin. spec. II, p. 11 sqq. — V. 47 *flammas* cum Jahnio, non *flamma* vel *flammis*. — V. 54 *excutias* Lect. II. p. 28; *excuiat* Jahn. minus poetice, praesertim quum *pectore laevo*, si *cor* proprie intelligatur, abundet. — V. 61 *terris* cum Jahnio; olim *terras*. — V. 62 *hos* Lect. III. 11; *hoc* Jahn.; nobis favet Kritz. ad Sallust. Jugurth. IV. 7. — V. 73 *animi* Lect. III, p. 12; *animo* Jahn.; genetivum tuebuntur etiam *verba animi* Juv. IV. 91. — Sat. III. 13 *quod* retinui; sed Jahnus argutius quam verius. — V. 29 *censoremve* Lect. III, p. 13; *censoremque* Jahn. — V. 34 *rursum* Lect. III, p. 14, *rursus* Jahn.; cf. Corte ad Lucan. I. 391. — V. 46 *dicere et insano* Lect. II, p. 33; *discere non sano* Jahnus blanda specie; sed declamandi ineptias ridet, non discendi pigritiam excusat poeta, nec laudes magistri ad memoriam potius quam ad actionem spectare poterant. — V. 56 *deduxit*, non *diduxit*; cf. Sat. V. 35 et Lect. II, p. 35. — V. 60 *in quo* libri fere omnes; *in quod* Jahn. c. editis; at cf. Lect. II, p. 36. Contra v. 67 *et pro aut* scribere c. Jahnio non dubitavi. — V. 68 *quam* Lect. II, p. 37; *qua* Jahn.; at ipsa regendi ars respicitur. — V. 78 *quod satis est sapio* equidem praetuli, *quod sapio satis est*

Jahnus; at nonne hoc etiam philosophus dicere poterat? — Sat. IV. 3 o Lect. II. p. 41; *hoc* Jahn. — V. 26 *milvus oberrat* Schol. librique optimi, alii *oberret*: Jahn. ex unius vestigiis *milvus errat*. — V. 31 *farratam ollam* etiam nunc tueor Statii exemplo Silv. I. 2. 146: *plauserunt limina cycni*. — V. 33 *frigus* pro *figas* quamvis optimorum testium consensu commendatum nec Jahnus in ordinem recepit, neque ego tantae hypallagae audaciam praestare sustinui; quae tamen in Analectis p. 14 sqq. de universo loco disputavi, haud muto, Jahniumque certe *hi mores* scribendo summam eorum probasse laetor. — Sat. V. 8 *Procnès* nos cum antiquissimis libris, *Prognès* Jahnus ut Juv. VI. 644; idem tamen *cycnum* ibid. 145, ut Lachmann. in Lucret. III. 7. — V. 13 *stloppo* Prisc. I. 10. 58, *scloppo* Jahnus, libros magis ut videtur quam suam persuasionem secutus. — V. 17 *dicas* Schol., *dicis* Jahn. contra quam ipse prius edidit, multoque certior conjunctivi ratio constat. — V. 19 *bullatis* multis defendi Lect. I, p. 32, quibus adde *crepantes adulationum bullas* Sidon. Apoll. Epist. I. 7; Jahn. *ampullatis*, quo caesuram perire dudum annotavi, nunc vel in ordinem recepit, Lachmannum testatus ad Lucret. p. 413; ego vero malos versus vel optimis poetis interdum excidissem nunquam negavi, bonos conjectando pessumdari licere etiam nunc pernego. — V. 26 *his* Lect. II, p. 48, *hic* Jahn. — V. 77 *vappa lippus* sine copula libenter cum Jahnio recepi; non item v. 117 in pro *sub pectore*, quo recondita malitia multo vividius describitur. — V. 138 *baro* pro *varo* haud gravate admisi; minus tutum v. 142 *ni* pro *nisi* visum est; v. 149 autem temperare mihi non potui, quin veteri meae conjecturae locum inter verba poetae darem, eo tantum temperamento adhibito, ut *avidos* in *avido* mutari facilius quam in *avidi* videretur; *nummos* vero, non *nummi* scribendum fuisse constanter defendo. *Peragere* enim esse *consumere*, nostrum *durchbringen*, manifesto ostendit Sat. VI. 22, postulatque contrarium sui praecedens *nutrieras*; sicut autem *nummos* quincunx nutrit, ita deunces eosdem peragere rectius quam ipsi ab illis peragi dicentur; utque per se veri absimile est *sudorem* epitheto carere, ita *avidus sudor* commodissime de-

clarabit mercatoris avaritiam, quae tamen tantum abest ut certum eventum habeat, ut haud raro majoris lucri cupidine eam pecuniam perdat, qua modico fenore collocata diu secure frui potuisset. — V. 159 *ast* plurimi, quod vel nonsequente *tamen* suo jure ponipoterat; hoc sequente nec hic nec II. 48 video cur languido *et* cedat. — V. 172 *accersar* pro *arcessat* libris, qui fere omnes primam certe personam offerunt, negare Jahnius non debebat: mox autem v. 174 *exieras nec nunc* pro *exieris* et *ne nunc* eidem cum Ladewigio et Scheibio eo facilius concedo, quo magis Horatii quoque editores in loco gemino Sat. II. 3. 262 vacillare video; cf. Philol. V, p. 133. — Sat. VI. 9 *cognoscite* pro *cognoscere* cum eodem recepi propter sequens *jubet*, quod imperativum respicit; ibidem vero v. 6 quod e codice Lugd. scripsi *senex* pro *senes*, superius jam tuitus sum, nec transpositionem hemistichiorum v. 37 et 41 pluribus commendare libet, quam quae in eandem sententiam jam Lect. II, p. 61 disputavi. Unum addo, potuisse sane etiam *haec cinere ulterior metuas; at tu meus heres* ab ipso Persio continuari, sed omissis tantum versibus 37—40, qui haud scio an posterius demum ad hunc locum accesserint; iidem tamen quum certissimam poetae manum prae se ferant, hunc ipsum statuendum est adjectis illis eum potius sententiarum ordinem exsistere voluisse, quem singularum nexu arguente restitui. — V. 61 *poscas* Lect. III, p. 33; *poscis* Jahn.; at colligit tantum Persius fieri posse ut alter ad talem impudentiam progrediatur. — V. 66 *repone* elegantius utique est quam *opponere*; item ut opinor v. 69 *coquatur* quam *coquetur*, quorum utrumque Jahnius ipse in superiore editione praetulerat; nec v. 79 *depunge* aut a libris aut a sensu adeo commendari arbitror, ut vel hac in voce Scholiorum auctoritatem Barcinonensi familiae posthabeam; reposui igitur *depinge*, quod nemo erit quin nunc ut alias pro *describe* dictum facile intelligat.

Ser. Gottingae d. II. Iun. a. MDCCCLIV.

A. PERSII FLACCI S A T I R A R U M

LIBER.

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem. 5
Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vaturn carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαίρε
Picamque docuit verba nostra conari? 10
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces;
Quod si dolosi spes refulgeat nummi,
Corvos poetas et poetridas picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

S A T I R A I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget haec? — Min' tu istud ais? nemo hercule! —
Nemo? —
Vel duo, vel nemo. — Turpe et miserabile! — Quare?
Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
Praetulerint? nugae! non, si quid turbida Roma 5
Elevet, accedas, examenve improbum in illa

Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.
 Nam Romae quis non —? ah si fas dicere! sed fas;
 Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
 Aspexi ac nucibus facimus quaecumque relictis, 10
 Quum sapimus patruos; tunc tunc — ignoscite, nolo;
 Quid faciam? sed sum petulanti splene — cachinno.

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
 Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet;
 Scilicet haec populo pexusque togaque recenti 15
 Et natalicia tandem cum sardonyche albus
 Sede legens celsa, liquido quum plasmate guttur
 Mobile collueris, patranti fractus ocello.

Hic neque more probo videas nec voce serena
 Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum 20
 Intran, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.

Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
 Auriculis, quibus et dicas cute perditus *ohe!* —
 Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
 Innata est, rupto iecore, exierit caprificus? — 25

En pallor seniumque! O mores! usque adeone
 Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? —

At pulchrum est digito monstrari et dicier *hic est!*

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
 Pro nihilo pendas? — Ecce inter pocula quaerunt 30
 Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.

Hic aliquis, cui circa humeros hyacinthina laena est,
 Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
 Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
 Eliquat, ac tenero supplantat verba palato. 35

Assensere viri; nunc non cinis ille poetae
 Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?

Laudant convivae; nunc non e manibus illis,
 Nunc non e tumulto fortunataque favilla
 Nascentur violae? — Rides, ait, et nimis uncis 40

Naribus indulges; an erit qui velle recuset
 Os populi meruisse, et cedro digna locutus
 Linquere nec scombros metuentia carmina nec tus? —

Quisquis es, o, modo quem ex adverso dicere feci,

Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit — 45
 Quando haec rara avis est — si quid tamen aptius exit,
 Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est;
 Sed recti sinemque extremumque esse recuso
 Euge tuum et belle. Nam belle hoc excute totum:
 Quid non intus habet? non hic est Ilias Atti 50
 Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
 Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
 Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen,
 Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
 Et: *verum*, inquis, *amo: verum mihi dicite de me.* 55
 Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
 Pinguis aqualiculus protenso sesquipede exstet.
 O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
 Nec manus auriculas imitari mobilis albas,
 Nec linguae, quantum sitiatur canis Appula, tantae! 60
 Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
 Occipiti caeco, posticae occurrere sannae!

Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
 Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
 Effundat iunctura unguis? Scit tendere versum 65
 Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno;
 Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
 Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
 Ecce modo heroas sensus afferre videmus
 Nugari solitos graece, nec ponere lucum 70
 Artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes
 Et focus et porci et fumosa Palilia foeno,
 Unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,
 Quem trepida ante boves dictaturam induit uxor
 Et tua aratra domum lictor tulit — euge poeta! 75
 Est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,
 Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
 Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta?
 Hos pueris monitus patres infundere lippos
 Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi 80
 Venerit in linguas, unde istuc dedecus, in quo
 Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?

Nilne pudet capiti non posse pericula cano
 Pellere, quin tepidum hoc optes audire *decenter*?
 Fur es, ait Pedio; Pedius quid? crimina rasis 85
 Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
 Laudatur: *bellum hoc!* Hoc bellum? an, Romule, ceves?
 Men' moveat quippe et, cantet si naufragus, assem
 Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
 Ex humero portes? verum nec nocte paratum 90
 Florabit, qui me volet incurvasse querella. —

Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
 Claudere sic versum didicit: *Berecynthius Attis*;
 Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin*;
 Sic: *costam longo subduximus Appennino*. 95
 Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,
 Ut ramale vetus praegrandi subere coctum? —
 Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?
 Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,
 Et raptum vitulo caput ablatura superbo 100
 Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
 Euhion ingeminat; reparabilis adsonat echo?
 Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
 Viveret in nobis? summa delumbe saliva
 Hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attis, 105
 Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit unguis. —

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
 Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
 Limina frigescant; sonat hic de nare canina
 Littera. — Per me equidem sint omnia protinus alba; 110
 Nil moror. Euge! omnes, omnes bene mirae eritis res.
 Hoc iuvat? Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum?
 Pingue duos angues: pueri, sacer est locus, extra
 Meiite! discedo. Secuit Lucilius urbem,
 Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis; 115
 Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
 Tangit et admissus circum praecordia ludit,
 Callidus excusso populum suspendere naso:
 Men' muttire nefas? nec clam, nec cum scrobe, nusquam?
 Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle: 120

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,
 Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
 Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino
 Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
 Aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis. 125
 Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
 Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
 Sordidus, et lusco qui possit dicere *lusce*,
 Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
 Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas; 130
 Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
 Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
 Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
 His mane edictum, post prandia Calliroen do.

 S A T I R A II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
 Qui tibi labentes apponit candidus annos;
 Funde merum genio. Non tu prece poscis emaci,
 Quae nisi seductis nequeas committere divis;
 At bona pars procerum tacita libabit acerra. 5
 Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros
 Tollere de templis et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, haec clare et ut audiat hospes;
 Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: O si
 Ebulliat patruus, praeclarum funus! et: O si 10
 Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
 Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
 Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
 Bile tumet. Nerio iam tertia conditur uxor! —
 Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis 15
 Mane caput bis terque et noctem flumine purgas?
 Heus age, responde — minimum est quod scire laboro —
 De Iove quid sentis? estne ut praeponere cures
 Hunc — cuinam? cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?

Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis? 20
 Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere temptas,
 Dic agedum Staio: *pro Iuppiter! o bone*, clamet,
Iuppiter! at sese non clamet Iuppiter ipse?
 Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius illex
 Sulfure discutitur sacro quam tuque domusque? 25
 An quia non fibris ovium Ergennaque iubente
 Triste iaces lucis evitandumque bidental,
 Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
 Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
 Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis? 30
 Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
 Exemit puerum, frontemque atque uda labella
 Infami digito et lustralibus ante salivis
 Expiat, urentes oculos inhibere perita;
 Tunc manibus quatit et spem macram supplice voto 35
 Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes:
 Hunc optet generum rex et regina; puellae
 Hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
 Ast ego nutrici non mando vota; negato,
 Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit. 40
 Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
 Esto age; sed grandes patinae tucetaque crassa
 Adnuere his superos vetuere Iovemque morantur.
 Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
 Accersis fibra: *da fortunare Penates*, 45
Da pecus et gregibus fetum! quo, pessime, pacto,
 Tot tibi quum in flammis iunicum omenta liquescant?
 At tamen hic extis et opimo vincere ferto
 Intendit: *iam crescit ager, iam crescit ovile*,
Iam dabitur, iam, iam! donec deceptus et exspes 50
 Nequiquam: *fundo*, suspiret, *nummus in imo!*
 Si tibi creterras argenti incusaque pingui
 Auro dona feram, sudes et pectore laevo
 Excutias guttas, laetari praetrepidum cor.
 Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato 55
 Perducis facies; nam fratres inter aenos
 Somnia pituita qui purgatissima mittunt.

Praecipui sunt sitque illis aurea barba.
 Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera,
 Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat. 60
 O curvae in terris animae et coelestium inanes!
 Quid iuvat, hos templis nostros immittere mores,
 Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
 Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
 Haec Calabrum coxit vitiatum murice vellus, 65
 Haec baccam conchae rasisse et stringere venas
 Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
 Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur: at vos
 Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
 Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae. 70
 Quin damus id superis, de magna quod dare lance
 Non possit magni Messallae lippa propago:
 Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
 Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
 Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo. 75

S A T I R A III.

Nempe haec assidue? iam clarum mane fenestras
 Intrat et angustas extendit lumine rimas;
 Stertimus indomitum quod despumare Falernum
 Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
 En quid agis? — *Siccas insana canicula messes* 5
Iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est
 Unus ait comitum. — Verumne? itane? ocius adsit
 Huc aliquis! nemon'? — Turgescit vitrea bilis:
 Findor — ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.
 Iam liber et positus bicolor membrana capillis 10
 Inque manus chartae nodosaeque venit arundo.
 Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat humor,
 Nigra quod infusa vanescat sepiæ lympha:
 Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
 O miser inque dies ultra miser, hucine rerum 15

Venimus? at cur non potius teneroque columbo
 Et similis regum pueris pappare minutum
 Poscis et iratus mammae lallare recusas? —
 An tali studeam calamo? — Cui verba? quid istas
 Succinis ambages? tibi luditur; effluis amens; 20
 Contemnere! Sonat vitium percussa, maligne
 Respondet viridi non cocta fidelia limo.
 Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri
 Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
 Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum — 25
 Quid metuas? — cultrixque foci secura patella.
 Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
 Stemmata quod Tusco ramum millesime ducis,
 Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
 Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi. 30
 Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
 Sed stupet hic vitio, fibris increvit opimum
 Pingue, caret culpa, nescit quid perdat, et alto
 Demersus summa rursum non bullit in unda.
 Magne pater divum, saevos punire tyrannos 35
 Haud alia ratione velis, quum dira libido
 Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
 Virtutem videant intabescantque relictæ.
 Anne magis Siculi gemuerunt aera iuveni,
 Et magis auratis pendens laquearibus ensis 40
 Purpureas subter cervices terruit, *imus*,
Imus praecipites, quam si sibi dicat et intus
 Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
 Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
 Grandia si nollem morituri verba Catonis 45
 Dicere et insano multum laudanda magistro,
 Quae pater adductis sudans audiret amicis.
 Iure; etenim id summum, quid dexter senio ferret,
 Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
 Raderet; angustae collo non fallier orcae; 50
 Neu quis callidior buxum torquere flagelio.
 Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
 Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis

Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
 Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta; 55
 Et tibi quae Samios deduxit littera ramos
 Surgentem dextro monstravit limite callem.
 Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
 Oscitat hesternum, dissutis undique malis!
 Est aliquid quo tendis, et in quo dirigis arcum? 60
 An passim sequeris corvos testaque lutoque,
 Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
 Helleborum frustra, quum iam cutis aegra tumebit,
 Poscentes videas: venienti occurrите morbo!
 Et quid opus Cratero magnos promittere montes? 65
 Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum:
 Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
 Quis datus, aut metae quam mollis flexus et unde;
 Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
 Utile nummus habet; patriae carisque propinquis 70
 Quantum elargiri deceat; quem te deus esse
 Iussit, et humana qua parte locatus es in re;
 Disce, nec invideas, quod multa fidelia putet
 In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
 Et piper et pernae, Marsi monumenta clientis, 75
 Menaque quod prima nondum defecerit orca.

Hic aliquis de gente hircosa centurionum
 Dicat: Quod satis est sapio mihi; non ego curo
 Esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
 Obstipo capite et figentes lumine terram, 80
 Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt
 Atque exporrecto trutinantur verba labello,
 Aegroti veteris meditantés somnia, *gigni*
De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
 Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est? — 85
 His populus ridet, multumque torosa iuventus
 Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. —
Inspice; nescio quid trepidat mihi pectus et aegris
Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice, sodes!
 Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam 90
 Tertia compositas vidit nox currere venas,

De maiore domo, modice sitiante lagena,
 Lenia loturo sibi Surrentina rogabit. —
 Heus, bone, tu palles! — Nihil est. — Videas tamen istud,
 Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis. — 95
 At tu deterius palles; ne sis mihi tutor;
 Iam pridem hunc sepeli: tu restas. — Perge, tacebo. —
 Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
 Guttur sulfureas lente exhalante mesites;
 Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem 100
 Excutit e manibus, dentes crepuere relecti,
 Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
 Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
 Compositus lecto crassisque lutatus amomis
 In portam rigidas calces extendit: at illum 105
 Hesterni capite induto subiere Quirites.

Tange, miser, venas et pone in pectore dextram. —
 Nil calet hic. — Summosque pedes attinge manusque. —
 Non frigent. — Visa est si forte pecunia, sive
 Candida vicini subrisit molle puella, 110
 Cor tibi rite salit? positum est argente catino
 Durum olus, et populi cribro decussa farina:
 Temptemus fauces! tenero latet ulcus in ore
 Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
 Alges, quum excussit membris timor albus aristas; 115
 Nunc face supposita fervescit sanguis et ira
 Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
 Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

S A T I R A IV.

Rem populi tractas? — barbatum haec crede magistrum
 Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae —
 Quo fretus? dic o magni pupille Pericli.
 Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
 Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles. 5
 Ergo ubi commota fervet plebecula bile,

Fert animus calidae fecisse silentia turbae
 Maestate manus. Quid deinde loquere? *Quirites,*
Hoc, puta, non iustum est, illud male, rectius illud.
 Scis etenim iustum gemina suspendere lance 10
 Ancipitis librae; rectum discernis, ubi inter
 Curva subit, vel quum fallit pede regula varo,
 Et potis es nigrum vitio praefigere theta?
 Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
 Ante diem blando caudam iactare popello 15
 Desinis, Anticyras melior sorbere meracas!
 Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
 Semper et assiduo curata cuticula sole?
 Expecta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc:
Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus — esto; 20
 Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
 Quum bene discincto cantaverit ocima vernae.

Ut nemo in sese temptat descendere, nemo,
 Sed praecedenti spectatur mantica tergo!
 Quaesieris: Nostin' Vettidi praedia? — Cuius? — 25
 Dives arat Curibus quantum non milvus oberrat. —
 Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
 Qui, quandoque iugum pertusa ad compita ligit,
 Seriolae veterem metuens deradere limum
 Ingemit: *hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens 30
 Caepe, et farratam pueris plaudentibus ollam
 Pannosam faecem morientis sorbet aceti? —
 At si unctus cesses et ligas in cute solem,
 Est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre
 Despuat: *hi mores, penemque arcanaque lumbi* 35
Runcantem populo marcentes pandere vulvas!
 Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
 Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
 Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
 Elixasque nates labefactent forcipe adunca, 40
 Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
 Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.
 Vivitur hoc pacto; sic novimus. Ilia subter
 Caecum vulnus habes; sed lato balteus auro

Praetegit. Ut mavis, da verba et decipe nervos, 45
 Si potes. — Egregium quum me vicinia dicat,
 Non credam? — Viso si palles, improbe, nummo,
 Si facis in penem quidquid tibi venit amarum,
 Si puteal multa cautus vibice flagellas:
 Nequiquam populo bibulas donaveris aures. 50
 Respue, quod non es; tollat sua munera cerdo;
 Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

S A T I R A V.

V
 atibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
 Centum ora et linguas optare in carmina centum,
 Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
 Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum. —
 Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas 5
 Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
 Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
 Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestae
 Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi;
 Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, 10
 Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
 Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
 Nec stollopo tumidas intendis rumpere buccas.
 Verba togae sequeris iunctura callidus acri,
 Ore teres modico, pallentes radere mores 15
 Doctus et ingenuo culpam deligere ludo.
 Hinc trahe quae dicas, mensasque relinque Mycenis
 Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris. —
 Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
 Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo. 20
 Secreti loquimur: tibi nunc, hortante Camena,
 Excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
 Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
 Ostendisse iuvat: pulsa, dinoscere cautus,
 Quid solidum crepet et pictae tectoria linguae. 25

His ego centenas ausim deprecare voces,
 Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
 Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
 Quod latet arcana non enarrabile fibra.
 Quum primum pavido custos mihi purpura cessit, 30
 Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
 Quum blandi comites totaque impune Subura
 Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo;
 Quumque iter ambiguum est et vitae nescius error
 Deducit trepidas ramosa in compita mentes, 35
 Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
 Socratico, Cornute, sinu; tum fallere sollers
 Apposita intortos extendit regula mores,
 Et premitur ratione animus vincique laborat,
 Artificemque tuo ducit sub pollice vultum. 40
 Tecum etenim longos memini consumere soles,
 Et tecum primas epulis decerpere noctes:
 Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
 Atque verecunda laxamus seria mensa.
 Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo 45
 Consentire dies et ab uno sidere duci:
 Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
 Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
 Dividit in Geminos concordia fata duorum,
 Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una: 50
 Nescio quod, certe est quod me tibi temperat astrum.
 Mille hominum species et rerum discolor usus;
 Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
 Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
 Rugosum piper et pallentis grana cumini, 55
 Hic satur irriguo mavult turgescere somno;
 Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
 In Venerem putris; sed quum lapidosa cheragra
 Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
 Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem 60
 Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
 At te nocturnis iuvat impallescere chartis;
 Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures

Fruge Cleanthea: petite hinc puerique senesque
 Finem animo certum miserisque viatica canis! — 65
 Cras hoc fiet idem. — Cras fiet? — Quid? quasi magnum
 Nempe diem donas! — Sed quum lux altera venit,
 Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
 Egerit hos annos et semper paulum erit ultra.
 Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno 70
 Vertentem sese frustra sectabere canthum,
 Quum rota posterior curras et in axe secundo.
 Libertate opus est, non hac, ut, quisque Velina
 Publius emeruit, scabiosum tesserula far
 Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem 75
 Vertigo facit! hic Dama est non tressis agaso,
 Vappa lippus et in tenui farragine mendax:
 Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
 Marcus Dama: papae! Marco spondente recusas
 Credere tu nummos? Marco sub iudice palles? 80
 Marcus dixit: ita est; adsigna, Marce, tabellas.
 Haec mera libertas! hoc nobis pilea donant! —
 An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
 Cui licet, ut voluit? licet ut volo vivere: non sum
 Liberior Bruto? — Mendose colligis, inquit 85
 Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto:
 Haec reliqua accipio; *licet* illud et *ut volo* tolle. —
 Vindicta postquam meus a praetore recessi,
 Cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
 Excepto si quid Masuri rubrica vetavit? — 90
 Disce, sed ira cadat naso rugosaeque sanna,
 Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
 Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
 Officia atque usum rapidae permittere vitae:
 Sambucam citius caloni aptaveris alto. 95
 Stat contra ratio et secretam garrit in aurem.
 Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
 Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
 Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
 Diluis helleborum, certo compescere puncto 100
 Nescius examen: vetat hoc natura medendi:

Navem si poscat sibi peronatus arator,
 Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
 Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
 Ars dedit, et veri speciem dinoscere calles, 105
 Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
 Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
 Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
 Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
 Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes? 110
 Inque luto fixum possis transcendere nummum,
 Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Haec mea sunt, teneo, quum vere dixeris, esto
 Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.
 Sin tu, quum fueris nostrae paulo ante farinae, 115
 Pelliculam veterem retines et fronte politus
 Astutam vapido servas sub pectore vulpem,
 Quae dederam supra, relego, funemque reduco:
 Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas,
 Et quid tam parvum est? sed nullo ture litabis, 120
 Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
 Haec miscere nefas; nec, quum sis cetera fossor,
 Tres tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli. —
 Liber ego. — Unde datum hoc sentis, tot subdite rebus?
 An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat? 125
I puer et strigiles Crispini ad balnea defer,
 Si increpuit, cessas nugator; servitium acre
 Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat,
 Quod nervos agitet: sed si intus et in iecore aegro
 Nascuntur domini, qui tu impunitior exis 130
 Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
 Mane piger stertis. — Surge, inquit Avaritia, heia
 Surge! — Negas; instat: Surge, inquit. — Non queo. —
 Surge. —
 Et quid agam? — Rogitas? en saperdam advehe Ponto,
 Castoreum, stuppas, ebum, tus, lubrica Coa; 135
 Tolle recens primus piper ex sitiante camelo;
 Verte aliquid; iura. — Sed Iuppiter audiet. — Eheu!
 Baro, regustatum digito terebrare salinum

Contentus perages, si vivere cum Iove tendis! —
 Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas: 140
 Ocius ad navem! nihil obstat, quin trabe vasta
 Aegaeum rapias, nisi sollers Luxuria ante
 Seductum moneat: Quo deinde, insane, ruis? quo?
 Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
 Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae? 145
 Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
 Coena sit in transtro, Veientanumque rubellum
 Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?
 Quid petis? ut nummos, quos hic quincunce modesto
 Nutrieras, peragant avido sudore deunces? 150
 Indulge genio, carpamus dulcia! nostrum est
 Quod vivis; cinis et manes et fabula fies.
 Vive memor leti! fugit hora; hoc quod loquor inde est. —
 En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
 Huncceine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet 155
 Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
 Nec tu, quum obstiteris semel instantique negaris
 Parere imperio, *rupi iam vincula*, dicas;
 Nam et luctata canis nodum abripit; ast tamen illi,
 Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenae. — 160
 Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
 Praeteritos meditor — crudum Chaerestratus unguem
 Adrodens ait haec — an siccis dedecus obstem
 Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
 Limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas 165
 Ebrius ante fores exstincta cum face canto? —
 Euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam
 Percute. — Sed censen' plorabit, Dave, relicta? —
 Nugaris; solea, puer, obiurgabere rubra.
 Ne trepidare velis atque artos rodere casses! 170
 Nunc ferus et violens; at si vocet, *haud mora*, dicas. —
 Quidnam igitur faciam? nec nunc, quum accersar et ultro
 Supplicet, accedam? — Si totus et integer illinc
 Exieras, nec nunc. — Hic, hic, quem quaerimus, hic est,
 Non in festuca, lictor quam iactat ineptus. 175
 Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem

Cretata ambitio? vigila et ciceringere large
 Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
 Aprici meminisse senes; quid pulchrius? At quum
 Herodis venere dies, unctaque fenestra 180
 Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
 Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
 Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
 Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.
 Tum nigri lemures ovoque pericula rupto, 185
 Tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos
 Incussere deos inflantes corpora, si non
 Praedictum ter mane caput gustaveris alli.
 Dixeris haec inter varicosos centuriones,
 Continuo crassum ridet Pulfennius ingens, 190
 Et centum Graecos curto centusse licetur.

 SATIRA VI.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
 Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
 Mire opifex numeris veterum primordia vocum
 Atque marem strepitum fidis intendisse latinae, 5
 Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
 Egregius lusisse senex. Mihi nunc Ligus ora
 Intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
 Dant scopuli et multa litus se valle receptat.
 Lunai portum, est operae, cognoscite, cives!
 Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse 10
 Maconides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
 Hic ego securus vulgi et quid praeparet auster
 Infelix pecori, securus et angulus ille
 Vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
 Ditescant orti peioribus, usque recusem 15
 Curvus ob id minni senio, aut coenare sine uncto,
 Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
 Discrepet his alius: geminos, horoscope, varo

Producis genio. Solis natalibus est qui
 Tingat olus siccum muria vafer in calice empta, 20
 Ipse sacrum irrorans patinae piper; hic bona dente
 Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
 Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
 Nec tenues sollers turdarum nosse salivas.
 Messe tenuis propria vive et granaria, fas est, 25
 Emole; quid metuis? occa, et seges altera in herba est.
 Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
 Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
 Condidit Ionio; iacet ipse in litore et una
 Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis 30
 Costa ratis lacerae: nunc et de cespite vivo
 Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
 Caerulea in tabula. — Sed coenam funeris heres
 Negliget, iratus quod rem curtaveris; urnae
 Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum, 35
 Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus. —
 Haec cinere ulterior metuas? — Et Bestius urget
 Doctores Graios: *Ita fit, postquam sapere urbi
 Cum pipere et palmis venit, nostrum hoc maris expers;
 Foenisecae crasso vitiarunt unguine pulles.* 40
 Tune bona incolumis minuas? — At tu, meus heres
 Quisquis eris, paulum a turba seductionior audi:
 O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
 Insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
 Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma, 45
 Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis
 Essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
 Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
 Egregie gestas induco; quis vetat? aude.
 Vae, nisi connives! oleum artocreasque popello 50
 Largior; an prohibes? dic clare! *Non adeo*, inquis,
Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
 Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
 Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
 Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas 55
 Clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres. —

Progenies terrae? — Quaere ex me, quis mihi quartus
 Sit pater: haud prompte, dicam tamen; adde etiam unum,
 Unum etiam: terrae est iam filius, et mihi ritu
 Manius hic generis prope maior avunculus exit. 60
 Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
 Sum tibi Mercurius; venio deus huc ego ut ille
 Pingitur; an renuis? vin' tu gaudere relictis?
 Deest aliquid summae: minui mihi; sed tibi totum est,
 Quidquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quon-
 dam 65

Legarat Tadius, neu dicta repone paterna:
 Fenoris accedat merces; hinc exime sumptus! —
 Quid reliquum est? — Reliquum? nunc, nunc impensius
 unge,


Unge, puer, caules! mihi festa luce coquatur
 Urtica et lissa fumosum sinciput aure, 70
 Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
 Quum morosa vago singultiet inguine vena,
 Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
 Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
 Vende animam lucro, mercare atque excute sollers 75
 Omne latus mundi, nec sit praestantior alter
 Cappadocas rigida pingues plausisse catasta;
 Rem duplica — Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
 Iam decies redit in rugam: depinge, ubi sistam. —
 Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi. 80

ONOMASTICUM PERSIANUM.

- Accius I. 76.
Aegaeum V. 142.
Anticyra IV. 16.
Antiopa I. 78.
Appenninus I. 95.
Arcadia III. 9.
Arcesilas III. 79.
Arretium I. 130.
Attis I. 93.
Attius I. 50.
Bassaris I. 101.
Bassus VI. I.
Bathyllus V. 123.
Baucis IV. 21.
Berecynthius I. 93
Bestius VI. 37.
Bovillae VI. 55.
Brutus V. 85.
Bruttius VI. 27.
Caesonia VI. 47.
Calaber II. 65.
Calliroe I. 134.
Cappadox VI. 77.
Cato III. 45.
Chaerestratus V. 162.
Chrysippus VI. 80.
Chrysis V. 165.
Cleanthes V. 64.
Coa V. 135.
Cornutus V. 23. 37.
Crassus II. 36.
Craterus III. 65.
Cratinus I. 123.
Crispinus V. 126.
Cures IV. 26.
Dama V. 76.
Davus V. 161. 168.
Dinomache IV. 20.
Ennius VI. 10.
Ergenna II. 26.
Eupolis I. 124.
Falernum III. 3.
Flaccus I. 116.
Floralia V. 178.
Glycon V. 9.
Helicon V. 7.
Heliconiades prol. 4.
Hercules II. 12.
Herodes V. 189
Hypsipyle I. 34.
Ianus I. 58.
Ilias I. 50.
Ionium VI. 29.
Iuppiter II. 22. 40; V. 50. 137
Labeo I. 4.
Lares V. 31.
Licinus II. 36.
Ligus VI. 6.
Lucilius I. 114.
Luna VI. 9.
Lupus I. 115.
Macrinus II. 1.
Maenas I. 101.
Maeonides VI. 11.
Manius VI. 56.
Marcus V. 79.
Marsus III. 75.
Masurius V. 90.

Medi III. 53.
 Melicerta V. 103.
 Mercurialis V. 112.
 Mercurius II. 44; VI. 62.
 Messala II. 72.
 Mimalloneus I. 99.
 Mucius I. 115.
 Mycenae V. 17.
 Natta III. 31.
 Nereus I. 94.
 Nerius II. 14.
 Numa II. 59.
 Orestes III. 118.
 Pacuvius I. 77.
 Palilia I. 72.
 Parnassus prol. 2.
 Parthus V. 4.
 Pedius I. 85.
 Pegaseus prol. 11.
 Pericles IV. 3.
 Phyllis I. 34.
 Pirene prol. 4.
 Polydamas I. 4.
 Pontus V. 134.
 Procne V. 8.
 Publius V. 74.
 Pulfennius V. 190.
 Pythagoreus VI. 11.
 Quintius I. 73.

Quintus VI. 11.
 Remus I. 73.
 Rhenus VI. 47.
 Roma I. 5.
 Romulidae I. 37.
 Romulus I. 87.
 Sabinus VI. 1.
 Samius III. 56.
 Saturnius II. 59.
 Saturnus V. 50.
 Siculus III. 39.
 Socraticus V. 37.
 Solon III. 79.
 Stajus II. 19.
 Subura V. 32.
 Surrentina III. 93.
 Tadius VI. 66.
 Thyestes V. 8.
 Tiberinus II. 15.
 Titus I. 20.
 Troïades I. 4.
 Tuscus II. 60; III. 28.
 Umber III. 74.
 Vejentanum V. 147.
 Velina V. 73.
 Venus II. 70; V. 58.
 Vestales II. 60.
 Vettidius IV. 25.
 Virbius VI. 56.



Ex Libris

E. M. Jellinek

Who has donated it to:


THE ONTARIO ALCOHOLISM
RESEARCH FOUNDATION
LIBRARY

Toronto, Canada



EMJ 400

No. BT 154



**PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET**

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
6555
A2
1915
C.1
ROBA

UTL AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 19 04 11 007 6